



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Conuerso, ob cuius obedientiam pisa agro siccanda, miraculosè versa
sunt, cap. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

significasset, cum ille ex diuerso ipsos indignantes pertulisset, quod tardius solito eam pulsasset. Nimirum in decoctione illam horam sibi plurimum præterisse crediderat, quia diuinæ cooperationis inæstimabile dispensationem non plenè sentiebat. De obedientia verò subjungam miraculum iam dicto excellentius.

CAPVT XV.

De obedientia.

IN præfata domo Conuersi pisa messuerant, quæ dum ad siccandum sparsa iacerent in agro, venerunt iidem Conuersi ad Priorem, dicentes: Nisi totus conuentus ocius exeat, nec non & infirmi, pisaque vertant, tota peribunt: timebant enim pluuiam imminuentem. Et præcepit Prior omnibus, qui ire possent, vt se præpararent. Mox ex infirmatorio Conuersorum frater quidam simplex exiens, ex multo feruore obedientiæ, ante omnes festinabat. Et cum agro, in quo pisa iacebant, propinquasset, illa mirum in modum in oculis eius per diuersa loca se vertebat. Quod vbi vidit, gratias agens Deo rediit: cui Prior occurrens ait: Cur reuerteris frater? Respondit ille; Domine, non est necesse vt procedatis, quia pisa totaliter versa sunt. Quis, inquit, vertit illa? Respondente humiliter Conuerso; Ille, qui bene facere potuit. Prior vt ita esse comperit, non absque multa admiratione cum conuentu reuersus est. **A P O L L O N I V S:** Iam nõ ambigo, quin magna sit virtus obedientiæ, quæ tanto miraculo remuneratur. **CÆSARIUS:** Sicut Deus obedientiam in subjectis, ita zelum disciplinæ diligit in prælatis.

CAPVT XVI.

De zelo disciplinae.

IN Houene, domo sanctimonialium ordinis nostri, quæ Abbati nostro commissa est, anno præterito quædam Abbatissa defuncta est, nomine Sophia: hæc tam feruens & ita rigida fuit circa disciplinam, vt sorores sæpe turbatæ, quod erat virtutis, vitium iudicarent. Huic aliquando tenuis ceruicia est in vinum conuersa. Quam etiam angelus Domini quadam nocte, cum de matutinis exiret, cum lucerna antecedebat: Hæc duo miracula in extre-

tremis